

potum, ad quos tamquam Patres & Pacificatores sua diffidia Fideles referebant.

XLVIII. In Gallia non debet expectari lapsus biennii. Si enim ante illud tempus causa sit in statu, ut decidi queat, Pars tertia juridice monebit judicem, & si post tertiam mentionem adhuc perseveret in mora decidendi ipsam causam, poterit Pars appellare tamquam a denegata justitia; ipsumque judicem vocare in jus, atque adversum ipsum concludere ad damna & interesse, uti notat Claudius Fleury parte 3. Instit. Juris Canon. cap. 7.

CAPUT V. De Probationibus & Præsumptionibus.

- 1 Post litem inter Partes contestatam solet sequi necessitas probandi.
2 Quid proprie sit probare?
3 Probatio versatur circa facta, non autem circa jus.
4 Hinc motiva juris non computantur inter acta litis.
5 Qui factum controversum allegat illud probare tenetur.
6 Unde Auctori solet probatio incumbere.
7 Si Reus respondendo factum alleget, ei probatio incumbit.
8 Præsumptio juris subinde onus probandi inicit in.
9 Subinde utriusque incumbit probatio.
10 Pro quo iudex decidere debeat, si uterque probet.
11 In pari probatione solet favorabilior esse causa possessoris.
12 Ex possessione oritur aliqua præsumptio pro possessore.
13 In quo hac præsumptio sit fundata?
14 Quid hinc commodum possessionis?
15 Inde patet, cur in pari causa dicatur melior conditio possidentis.
16 Quomodo circa hanc regulam erroris remissivè.
17 Quid sit præsumptio?
18 Quare dicatur probatio artificialis?
19 Triplex species præsumptionis; & quid præsumptio juris tantum?
20 Species hujus præsumptionis.
21 Quid præsumptio juris & de jure?
22 Exemplum hujus præsumptionis.
23 Etiam hac præsumptio tantum innititur conjecturis.
24 Hinc cedit veritati.
25 Describitur præsumptio hominis seu iudicis.
26 Præsumptiones hominis admodum diversa sunt quoad effectum probationis; & quare?
27 In estimando effectum præsumptionis magnà prudentiâ & circumspectione opus est.
28 Non iudicandum ex præsumptione, dum veritas aliunde haberi potest.
29 Ad abbreviandas probationes inductus usus positionum.
30 Quid sint positiones?
31 Videtur earum usus ex foro Ecclesiastico in Civile intrasse.
32 Pars adversa ad positiones respondere non debet, nisi jubente iudice.
33 Debet Pars citari ad respondendum.
34 Non potest iudex Partem interrogare, aut juramentum deferre, nisi rogatus.
35 Respondere recusans habetur pro consistente.
36 Nisi rationabilem causam non respondendi habeat; & qua sit causam rationabilis?
37 Positiones exhibenda iudici, ut videat, an sint admittenda vel rejicienda.
38 Difficiliter quis excusatur à respondendo super facto proprio.
39 An ad positiones responderi queat per Procuratorem; & quale mandatum requiratur?
40 In responso ad positiones debet esse summa sinceritas ob juramentum calumnie præstatum.
41 In Gallia vetitum ad positiones respondere per creditos; & quare?
42 Circa perjurium non potest responderi ad factum

propositum non credit, si illud sciat verum.
43 Quid hic incumbat iudici?
44 Post responsa ad positiones quorum supersit probatio.

I. Ite contestata per negationem ipsius Rei, sequitur necessitas probationis. Nisi enim quis asserta sua in iudicio probet, nihil obtinere potest; ideoque probatio dicitur anima processus.

II. Probare autem hic idem significat, quod iudici fidem facere de facto dubio, super quo in iudicio est quæstio; sive de facto, quod unus litigantium asserit, & alter negat. Unde probatio, de qua agitur sub titulis Juris Canonici & Civilis de Probationibus, non est aliud, quam iudici alicuius facti dubii sive controversi, legitime facta ostensio seu verificatio.

III. Nec enim probatio proprie versatur nisi circa facta, sive ea, quæ facti sunt: quia hæc sola à Partibus iudici probanda sunt: quæ enim juris sunt, iudici nota esse supponuntur: & secundum Leges seu jura, è quibus causa decisio dependet, iudicare eum oportet, licet à Litigatoribus eorumve Advocatis per negligentiam vel impetitam forent omissa, L. unica, Cod. ut quæ desunt Advocatis, &c.

IV. Hinc motiva juris, quibus jus ipsum deducitur, tamquam non necessaria ad instructionem causæ, non computantur inter acta litis: neque in taxatione impensarum eorum ratio solet haberi: sed manent ad onus exhibentis, tametsi causam lucretur eum expensis.

V. Igitur qui factum allegat, quod alter negat, si huic facto conclusio seu petitio innitatur, tenetur factum illud iudici probare.

VI. Idcirco ordinariè ipse Actor intentionem suam probare jubetur: eò quòd hic solet factum allegare, atque in eo intentionem suam adversus Reum fundare; Reus verò solet factum simpliciter negare; atque hinc illud vulgare: Actore non probante Reus absolvitur, etsi nihil præstiterit.

VII. Si autem Reus non simpliciter neget petitionem Actoris, sed contra eam excipiat, proponendo aliquid factum petitionem Actoris perimens, quæ inde dicta est exceptio peremptoria, tunc tenetur Reus factum allegatum probare: puta solutionem, transactionem, pactum de non petendo, &c.

VIII. Rursus Reus probare tenetur, quando jus commune aut præsumptio est pro Actore. Licet enim Reus negare videatur, implicite tamen asserit, & factum allegat. Si enim jus commune vel præsumptio sit pro Actore, Reus petitionem Actoris huic juri vel præsumptioni innixam negans, implicite asserit factum aliquid, quo jus commune aut præsumptionem Actoris faventem elidere contendit: quòd factum nisi probet, manet ejus commune vel præsumptio pro Actore, & vi illius iudex petitionem Actoris adjudicare tenebitur.

Plures alios casus, quibus Reo incumbit onus probationis, assignat Damhouderus in Praxi Civil. cap. 158.

IX. Si ab utraque parte allegentur facta contraria, utriusque erit sua facta verificare, si iis fundamentum causæ innitatur: puta in iudiciis duplicibus, ut communi dividundo, familia eriscunda, interdicto retinenda possessionis, &c.

Et quidem in his obtinebit, qui probaverit suam intentionem altero non probante. V. G. unus probaverit possessionem, alter non, indubie probanti adjudicabitur possessio.

X. Quòd si uterque probaverit, iudicis erit dijudicare, uter melius probaverit: ut si agatur de possessione, quis antiquiorem possessionem, vel justiore titulum probaverit, juxta Rubricam Cap. 9. De Probat. quæ habet: "Si Actor, & Reus in interdicto retinenda possessionis probant, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maiorem justificatam, vel meliores probationes respectu possessionis adduxit."

XI. Quòd si ambarum partium testes sint æquè idonei, possessoris testes præferentur: eam promptiora sint jura ad

ad solvendum, quam ad condemnandum, ait Pontifex in Cap. 3. §. quod sit, De Probat. Hinc concludunt communiter Canonistæ, quòd in pari probatione potior sit conditio possidentis: imò inde conflata apparet regula juris: "In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis." Cap. 65. De Regulis juris in VI.

XII. Ex ipsa enim possessione oritur præsumptio quædam pro possessore, eaque pro diuturnitate vel brevitate durationis vehementior, vel levior: quæ & in iudicio vice eujusdam probationis habetur.

XIII. Leges enim volunt, ut in foro externo quisque præsumatur & habeatur tamquam Dominus rei, quam ut sibi propriam possidet; nec è possessione illius deturbetur, quo-usque in iudicio sufficienter fuerit probatum, rem illam ad ipsum possessorem reverà non spectare; eique possessionem tamquam injuriam esse auferendam.

XIV. Itaque commodum non exiguum confert hæc præsumptio ipsi possessori; quòd nimirum onus probandi transferat in adversarium; ipseque interim gaudeat usu ipsius rei, donec adversarius probaverit; quòd expressit Justinianus in §. 4. Instit. De Interdictis, dicens: "Commodum possidenti in eo est, quòd etiam si ejus res non sit, qui possidet, si modo Actor non potuerit suam esse probare, maneat in suo loco possessor."

XV. Ex his haud difficulter intelligitur, quæ ratione dicat Regula Juris, quòd in pari casu sit melior conditio possidentis; nimirum ob præsumptionem ex possessione resultantem, & onus probandi in adversarium transferentem.

XVI. Hinc ulterius elucet, quantopere circa hanc Regulam errent, qui putant, possessorem tutum semper in retentione rei, tametsi rationabiliter dubitet, an sua sit, an aliena: nec non illi, qui Regulam hanc extendunt extra materiam justitiæ; uti latius ostendi in explicatione hujus Regule, quam per modum appendix ad junxi Dissertationi seu Requisitioni ad Regulam: In dubiis semita tutior est eligenda.

XVII. Præsumptio dicitur anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indicis & conjecturis per rerum circumstantias plerumque evidentibus sumpta.

Hæc autem opinio ex indicis & conjecturis & argumentis deducta, interim dum probatio clara veritatis cessat, viceem probationis supplet: atque ideo præsumptio dicta, quasi aliquid ante sumat, & ponat credendum sequendumque, ut observat Tuldenus in Codice ut. De Probat. num. 3.

XVIII. Probatio innixa præsumptioni dicitur artificialis, quæ arte ingenii quodammodo conficitur per collectionem ex signis, indicis, probabilibusque argumentis.

XIX. Præsumptio communiter dividitur in præsumptionem Juris tantum, præsumptionem Juris & de Jure, & præsumptionem iudicis sive hominis.

Præsumptio Juris tantum dicitur indicium Lege probatum; id est, quòd lege sit expressum, ex hujusmodi indicio præsumendum esse, hoc illudve subesse, quo-usque contrarium probetur.

XX. Hujus præsumptionis species est, quæ resultat ex possessione. Vult enim Lex, ut ex possessione præsumatur rem ad possessorem spectare, quo-usque contrarium probetur. Hujus generis præsumptiones plurimæ tam in Legibus, quam Decretalibus occurrunt.

XXI. Præsumptio juris & de jure vocatur, cum Lex aut Canon ita ex aliquo indicio quidpiam præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuatur, & eam pro veritate à iudice haberi velit, non admissâ probatione in contrarium: ideoque à Doctoribus dicitur necessaria & violentissima.

XXII. Hujus præsumptionis species occurrit in Cap. 30. De Sponsalibus; ubi dicitur, quòd is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, in super carnali copula subsecuta, etsi in facie Ecclesiæ ducat aliam & cognoscat, ad primam tenetur redire. Rationem subiungit Pontifex: "Quia licet præsumptum primum Matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur (ait) quòd nec ve Van Espen Jur. Eccl. P. 111.

rum, nec aliquod censeatur Matrimonium, quod de factò est postmodum subsecutum."

Hinc post Glossam docent Canonistæ, ex copula carnali subsecuta oriri jure Decretalium præsumptionem juris & de jure, sponsalia de futuro mutuo consensu transisse in sponsalia de presenti; sive verum consensum Matrimoniale intervenisse, & Matrimonium esse contractum; atque ab ipso iudice ita esse procedendum in iudicio, ac si reverà Matrimonium esset intum; nec Partes ad contrariam probationem esse admittendas.

XXIII. Verum licet præsumptio juris & de jure sit violentissima, nec facile per contrarias probationes elidatur; tamen verè & proprie non est veritas, cum versetur circa dubium; & in claris locis non sit conjecturis vel præsumptioni, quæ ex conjecturis defumitur.

XXIV. Hinc concludunt Doctores, quòd etiam hæc præsumptio cedere debeat veritati; ordinariè elidatur per confessionem illius, pro quo stat ipsa præsumptio. Vide Andream Vallensem in Paratitulis tituli, De Præsumpt. §. 4. num. 7. ubi & plures casus annotat, quibus ipsa præsumptio juris & de jure elidi potest.

XXV. Præsumptio hominis sive iudicis est quædam opinio sive conceptus hominis ex aliqua conjectura sive indicio formatus. Dicitur hominis sive iudicis, quia nullâ Lege aut Canone nominatim expressum est, ex hoc illove facto hujusmodi præsumptionem sive opinionem esse formandam; sed eam iudex sibi format.

XXVI. Porrò sicuti indicia seu principia, è quibus hujusmodi opiniones vel iudicia formari possunt, sunt admodum varia, ita & præsumptiones ex iis resultantibus varietate quoque sunt, præcipue quoad effectum probationis. Prout enim indicia sive argumenta ex factis & circumstantiis resultantia sunt fortiora & plausibilia; ita & præsumptio iis respondens vehementior est, & ad probandum efficacior.

XXVII. Cum autem definite, quid hæc indicia hic & nunc in talibus circumstantiis probent, quamque præsumptionem faciant, ab hominum diversis opinionibus dependeat, sat apparet, quam circumspecti ac prudentes debeant esse iudices in scrutandis & ponderandis factis & circumstantiis, ut de effectu præsumptionis ex his resultantibus rectè statuere queant.

XXVIII. Merito proinde Damhouderus in Praxi Rerum Civil. cap. 178. num. 46. "Iudicem diligenter præmonitum esse vult, ne hinc præsumptionibus nimis innitatur, sed ut reliqua omnia diligenter consideret, antequam ad definitivam descendat, & ut maturâ deliberatione omnia prius perquirat, quam ex suspicionibus præsumptivis ullam sententiam pronunciet."

XXIX. Contingit autem frequenter, quòd tam ex parte Actoris, quam ex parte Rei multa facta proponantur; quorum omnium si exacta probatio fieri debeat, lites in longum protrahentur, & litigantes in immensas expensas incidunt: atque sæpè continget ob difficultates & impensas probationum Partes suo jure fraudari.

Hinc ad exemplum interrogationum in jure faciendarum, quæ apud Veteres in usu fuerunt, ut patet ex titulo Digestorum De Interrogationibus in jure sublatis, introductus est usus positionum.

XXX. Positiones sunt articuli, quibus Actor vel Reus exprimit facta, quæ in iudicio fuerunt allegata; eaque scriptis iudici exhibet, ut super iis jubeat Partem adversam respondere: atque hoc pacto à Parte adversa confessionem de veritate factorum extorquendo, Ponens ab onere relevetur.

XXXI. Meminit harum positionum Bonifacius VIII. in Cap. 2. de Confessis in VI. & in Ordinationibus Curiarum Ecclesiæ, earum passim mentio occurrit; atque admodum verisimile est, earum usum ex Constitutionibus Canonice institutum sumptisse, & ad Curias Civiles transisse.

XXXII. Supponit hic Pontifex, quòd respondere ad Positiones non teneatur Pars adversa, nisi iussu à iudice respondere; quòd latius ibidem exponit Glossa, verbo fusuque à iudice; quòd & praxis observat. Licet enim Pars suas

positiones exhibuerit, atque super iis medio juramento responderi postularit, nequaquam respondere cogitur, quamdiu Decretum & iussus Judicis non intervenit; & ad positiones à Judice respondere cogatur.

XXXIII. Ulterius ad has responsiones faciendas debet primò pars adversa citari: si enim non citaretur, responsiones nullas facere teneretur, ait Damhouderus in Praxi rer. civil. c. 154. n. 33. quod & habent Ordinationes Curia Brabantia art. 31. quo ordinatur, Commissarios ad examen testium deputatos ante omnia debere litteras citatorias sub suis sigillis committere uni Apparitorum vel Nuntiorum Curia, ad citandum Partes, ad respondendum scripturis sive positionibus per credit vel non. Verba articuli sunt: *Dat de Commissarijssen al-eer sy wyt cracht van heure commissien tot eenige enquesten sullen moghen procederen sullen ghehouden zyn heure briefven van citaten onder heuren segele te decerner en eenige Deurvaerden oft Boden van onsen Raede om die partye te daghen, op de scripturen, die selve eerst gheaffirmeert zynde, te antwoorden PER CREDIT VEL NON.* Id est: Ut Commissarii, priusquam vi mandati inquisitionem instituant, teneantur citationis litteras sigillis suis munitas cuidam seu Apparitorum seu Nuntiorum Curia tradere, quibus partes evocentur, ut ad scripta tum præsertim respondeant per Credit, vel non.

XXXIV. Non poterit tamen iudex deferre juramentum Parti, & eam interrogare, nisi Parte hoc requirente, ut ait Rebuffus in Tractatu De Respons. per credit vel non, art. 1. n. 14. additque: "Quia iudices in Francia solent ad Partium utilitatem esse elingues, sine requisitione illarum."

XXXV. Dicit autem Pontifex in citato Cap. 2. De Confessis in VI. quòd si quis iustus à iudice "respondere recuset, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet, super iis, de quibus in iisdem positionibus interrogatus, extitit, pro confesso," quod & hodiernæ praxi est conformis, & extat ea de re expressis artic. 36. Ordinationum Curia Brabantia. Vide etiam Merulam in Praxi lib. 4. tit. 71. cap. 4. num. 4.

XXXVI. Addit nihilominus Pontifex hanc notandam clausulam restrictivam, si absq; rationabili causa recuset. Notat autem ibidem Glossa, rationabilem causam responsum recusandi esse, "si positio sibi proposita superflua esset, vel impertinens, quæ probata non relevaret, vel obscura, vel generalis; item si sit de facto alieno; item si sit captiosa; item si sit impossibilis vel contra naturam: Item super crimine ejus, contra quem fiunt, non admittuntur positiones. Hæc ergo & similes sint rationabiles causæ, propter quas respondere non teneatur." Hactenus Glossographus, qui id ibidem latius ostendit, & post illum fufius deducit Damhouderus in Praxi rer. civil. cap. 154. ubi unà notat num. 32. qua forma responsiones fiant tam in Concilio Flandria, quam Parlamento Mechliniensis coram Commissario ordinato & deputato ad informationem faciendam, & coram suo adjuncto.

XXXVII. Hinc Actor postquam suas positiones collegit & formaverit, tunc eas iudici in scriptis exhibere debet, ut tam Partes quam iudex videant, an sint tales positiones vel admittendæ, vel rejiciendæ, ait Damhouderus ibidem c. 152. additque: "Nam debet iudex eas positiones examinare, an faciant ad causam, & an sint admissibiles, & non captiosæ, non negativæ & sic de aliis, idque Partibus præsentibus."

XXXVIII. Si de facto proprio ipsius respondentis agatur, illudque ad causæ decisionem serviat, ac clarè proponatur, difficulter à responso se eximere poterit interrogatus; de cernuntq; expressè Ordinationes Curia Brabantia art. 34. quòd litigantes eorum vel Procuratores teneantur respondere super factis propriis simpliciter & absolute absq; ulla additione, vel excusatione ignorantia, oblivionis, impertinentia, aut alterius sub pœna sex florenorum. Verba articuli sunt: *ende sullen de voorscreven partyen oft heure procureurs moeten antwoorden op gheene, d'welck van heur eyghe feyten vusen sal, naeckelyck ende absoluteslyck sonder sos de selve*

te moghen vueghen eenighe addition oft excusation van ignorantie, verghetentheit, impertinentie, oft andere, op pene van ses Carolus guldens, d'een bellicht e'onsen profyete, ende d'andere bellicht tot behoef van de geinteresseerde partyen. Id est: Debebuntque dictæ partes, aut eorum Procuratores ad ea, quæ facta propria concernunt, simpliciter & absolute respondere, nec liceat illis additiones, aut excusationes seu ignorantia seu oblivionis, ineptias aut alia apponere sub multa sex florenorum Carolinorum, cujus altera medietas nostro emolumento, alter parti, cujus res agitur, cedit.

Similem pœnam sex florenorum imponunt art. 35. ei, qui detegitur facta aliqua calumniosè posuisse, aut negasse. XXXIX. Sæpius citatæ Ordinationes Curia Brabantia art. 33. non permittunt responsiones fieri per Procuratorem, dum de facto proprio Partis respondens agitur, nisi ob morbum vel absentiam, aliamve rationabilem causam à Parte ipsa fieri non possent; quo casu Procurator habens speciale mandatum (quod exhibere tenebitur Commissariis in præsentia Partis adversæ) continens factem, vel facta, super quibus Pars debet respondere, poterit dictas responsiones facere, & non alias. Notat quoque Rebuffus citato loco, requiri in Gallia speciale mandatum ad respondendum, ne sufficere generale; & ita aliquando iudicatum fuisse.

Secundum stylum Concilii Flandria & Parlamenti Mechliniensis, quando altera Partium non est præsens, sed est absens, tunc jurat illius absentis Procurator in eadem causa sui Magistri, ut refert Damhouderus c. 153. n. 3.

XL. Cæterum cum hæc responsiones fiant prævio juramento de calumnia, satis manifestum est, summam sinceritatem in his responsionibus esse procedendum; summopereque cavendum, ne quid falsi aut contra veritatem dicatur.

Dicit Damhouderus citato cap. 154. n. 39. quòd "multi Advocati & Procuratores nonnumquam consulunt Dominis ac Magistris suis, ut illum aut illum articulum negent, ut non confiteantur, quòd ipsi cum tali confessione, etiam si vera ellet, suam causam perderent, aut in sua causa succumberent. Sed hi (ait Damhouderus) non considerant, quòd veritatem simulatè & falso negando, suas animas damnant, & ita veritatem negantes, ad inferna descendunt."

XLI. Observat Rebuffus in allegato Tractatu art. 2. per Constitutionem Francisci I. an. 1539. art. 36. prohibitum esse, ne de cætero responsiones fiant per credit; easque ideo sublatas arbitratur, "quia Partes super his frequenter pejerabant, existimantes falso, se non ligari, si jurarent per non credit: licet de jure tantum valeat confessio per verbum credit, sicut facta de veritate." Quod & monet Glossographus ad Cap. 32. de Jurejurando, verbo, ac cultià veritate.

XLII. Nec dubium, quin vi juramenti præstiti teneatur respondens dicere sincerè circa veritatem facti, quod putat subesse. Unde si re ritè discussa, putet reverà factum propositum esse verum, non poterit citra perjurium respondere non credit; cum ita in effectu dicat, idque sub juramento, quòd factum non putet sive credat verum; ubi tamen reverà sciat, & credat esse verum, Judicis erit super his subinde monere & instruere Partes, præsertim quas merito præsumit rudiores, & ad vim juramenti minus reflectentes.

XLIII. Dicit Damhouderus citato c. 152. n. 25. "Oblatis igitur ab Actore positionibus, quærat iudex primò, ponente actore, sic ponis tu, vel credis tu. N. per juramentum à te præstitum, quod in his positionibus continetur. Et si affirmativè respondeat, quòd sic, tunc convertet se ad Reum, contra quem fiunt positiones; & ipsum adhortabitur, ut habitâ animæ salutis ratione, nihil horum neget, quòd verum esse noverit."

XLIV. Responsionibus ad Positiones absolutis, restat probatio eorum factorum dumtaxat, quæ Pars adversa respondit per non credit, sive ad quorū veritatè nec explicitè, nec implicitè cõfessâ est. Quæ enim Pars in suis Responsionibus confessâ est per verbū credit, ulterius probati non debent

uti nec ea, ad quæ per contumaciam respondere noluit: ut potè quæ pro confessis habentur, uti supra notavimus. Probatio autem factorum, quæ Pars in iudicio inficiatur, potissimum fit tribus modis; per testes, per scripturas, & instrumenta, & per juramenti delationem à Parte, aut à Judice; idque juxta factorum & causæ conditionem & naturam, prout in sequentibus explanabitur.

CAPUT VI.

De Probatione per Testes.

- 1 Probatio per testes solet præferri probationi per instrumenta.
- 2 Qui testes producere intendit, terminum ad eos producendum à iudice petere debet; & quid hic hodie obtineat.
- 3 Non facillè citra sententiam Partes ad probandum admittenda.
- 4 Iudex viso processu Partes aut alteram earum ad probandum ex officio admittere potest.
- 5 Solent designari Commissarii ad examen testium.
- 6 Testes à iudice citandi sunt licet à Parte produci debeant.
- 7 Testes ad dandum testimonium etiam cogi possunt.
- 8 An testis qui Apparitori vel iudici declarat, se nihil de causa hac scire, cogi queat ad testandum?
- 9 Nonnulla persona excusantur à ferendo testimonio; & quid de Clericis coram iudice laico?
- 10 Quomodo audiendi & examinandi testes infirmi, aut in remotis degentes?
- 11 Regulariter duo testes plene probant.
- 12 Modò sint omni exceptione majores.
- 13 De jure omnes testes censentur idonei, nisi ostendantur excepti.
- 14 Moribus hodiernis iudex testem non repellit, nisi Parte opponente: iudicis autem est arbitrari, quæ fides ei adhibenda.
- 15 Possunt super eodem plures, quam duo testes produci; nimia tamen multitudo à iudice refrananda.
- 16 Hodie ultra 10. testes super eodem facto non producendi.
- 17 Fallit in probatione consuetudinis, styli, privilegii, & similitum.
- 18 Hæc per Turbas probari solent: quæ constat ut minis 10. testibus.
- 19 Pro turba non ultra 30. testes producendi, nec amplius quam tres turba.
- 20 Testes jurare debent de dicenda veritate.
- 21 Convenit juramentum præcedere depositionem testis.
- 22 In repetitione seu recollectione testium coram iudice superiore, an renovandum juramentum?
- 23 Iudex instruere debet testes super præstando juramento.
- 24 Citanda Pars adversa ad videndum jurare testes; ea non comparente poterit ulterius procedi.
- 25 Producens testes debet exhibere articulos, super quibus testes audiendi & interrogandi.
- 26 A Parte adversa dantur iudici interrogatoria; & quæ sit eorum forma?
- 27 Ratio introductionis interrogatoriorum.
- 28 Designationes articulorum & interrogatoria actis litis inserenda sunt.
- 29 Interrogatoria Parti adversæ non communicantur; sed à iudice examinantur.
- 30 In Curia Regia interrogatoriorum usus non est.
- 31 Testes singulatim, & secreto examinandi.
- 32 Monendi testes à iudice, ut exactè attendant ad articulos sibi propositos.
- 33 Iudex in examine testium ad quæ potissimum attendere debeat.
- 34 Non recipienda depositio testis relativa ad depositionem alterius.
- 35 Testis non satisfacit, tradendo suam depositionem scriptam.
- 36 Depositiones testium scriptæ à Notario excipiendæ, & quid hic observandum?

Van Espen Jur. Eccl. P. III.

- 37 In scribendis depositionibus testium quæ exprimenda, & quæ omittenda?
- 38 Omnium & singulorum testium depositiones integrè, & ad longum excipiendæ.
- 39 Depositiones scripto excepta testibus relegenda sunt.
- 40 Quomodo depositiones à testibus signandæ sint?
- 41 Depositiones testium à Commissariis non possunt publicari.
- 42 De jure communi debet fieri publicatio depositionum & testium ante sententiam.
- 43 In Gallia jam pridem usus invaluerat non publicandi depositiones.
- 44 Idem usus in Belgio aliquando obtinuit.
- 45 Abrogatus generaliter per edictum perpetuum de anno 1611.
- 46 Etiam in Curia Ecclesiastica fit publicatio depositionum & testium; inter dum tamen sola testium nomina.
- 47 Quis scopus publicationis?
- 48 Post publicatas depositiones vetita ulterior productio testium super iisdem aut planè contrariis articulis.
- 49 Interdum tamen permittitur; sed rarè.
- 50 Publicatis depositionibus & nominibus testium permittitur testium reprobatio.
- 51 Unde hæc sumi soleat? (nii.)
- 52 Qualitas testium inspicienda pro tempore dati testimonii.
- 53 An testis ab una Parte productus possit ab eadem reprobari, si contra ipsam producat?
- 54 Reprobatio subinde sumitur ex iis, quæ depositiones concernunt.
- 55 Facta reprobatione testium admittitur salvatio.
- 56 Qualis terminus est datus ad reprobandum, etiam datus ad salvandum.
- 57 In reprobationibus & salvationibus nihil impericinos ad causam est ponendum.
- 58 Terminus dandus ad probanda facta contra testes allegata.
- 59 Edictum Principum nostrorum vult reprobationes testium & depositionum, uti & eorum salvationes simul absolvi.

I. Inter modos facta probandi frequentissimus est, qui fit per testes; traduntque communiter Canonistæ, eum multò efficaciorè, ac digniorè esse, quàm qui fit per instrumenta; cum etiam falsitas instrumenti, vel quòd deest instrumento, per testes probari possit. Cap. 10. §. PORRO, & De Fide instrumen. Hodie tamen in quibusdam causis admittitur probatio per sola instrumenta, & non per testes, ut in decursu ostendetur.

II. Si Actor per testes suam intentionem probare velit, vel Reus suam exceptionem, in primis petere debet à iudice admitti ad probandum, & dari sibi terminum ad probandum, sive terminum convenientem, intra quem suos testes producere queat. Hodie ferè receptum est, ut iudex viso processu Partes, vel alteram earum ad probandum per sententiam interlocutoriam condemnet, vel admittat.

III. Ordinationes Curiarum Eccles. Provincia Mechlin. art. 25. mandant: "Processus sic, ut præmittitur, instructus ad iudicem deferatur, ut ipse dispiciat, an questio juris, vel facti sit, sententiam suam diffinitivam, vel interlocutoriam ferat, nec antè citra sententiam ad probandum, Partes admittantur, nisi ambæ consentiant, & iudici nulla suspicio subrepat collusionis Procuratorum, aut Advocatorum, qui suo lucro velint expensas facere damno partium, ad earum jura tuenda non necessarias."

IV. Deinde art. 26. addunt: "Processu per iudicem visitato, seu visis Actis, si testium productione opus esse iudicet, utramque partem, aut illam, quam ad fundandam, intentionem suam probatione indigere comperiet, ad probandam admittet."

V. In Curia Civilibus, dum Partes sunt admittæ ad probandum, solent deputari Commissarii, coram quibus

§ III 3 testes